



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Ad Montem serratum religionis causa proficiscitur. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

ostendit, verum etiam incredibili benignitate spectandam aliquamdiu præbuit: quo viso mirifice recreatus Ignatius, tantum repente odium fastidiumque cōcepit eorum quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniuncta sunt, vt omnes rerum illarum, quamuis diuturno vsu ac vetustate corroboratas imagines, ex hominis memoria cōfestim aspectus ille deterferit. Accessit ad hæc illud quoque nō leue Dei beneficium, quod ei in omnem deinde vitā proprium ac stabile mansit: vt quotiescumque sublatis in cælum oculis altra suspiceret (quod sane sæpe faciebat, ac diu) mortalia cuncta illi repente sordescerent; & miro quodam æternæ patriæ desiderio raperetur.

*Ad Montem serratum religionis causa
proficiscitur. CAP. III.*

INterea simul & animo & corpore conualescens, è lectulo surgere, & intra cubiculi fines paulatim crura explicare, atque ingredi cœperat; nihilque lōgius ei videbatur, quàm vt de cognatione sua, & de domo patris exire, & præteritæ vitæ peccata quàm acerrime vindicare sibi liceret. Sed quia nondum erat ad iter faciendum idoneus, cōstituit interim præclarissimas quasque Christi Domini, Sanctorumque res gestas memorię causa describere: atque ad id ipsum exquisiti cuiusdā nitoris & elegantię codice comparato, quæ de virturū exemplis præcipue admirabatur, in eum codice vario picturæ genere quàm cōpositissimis & quàm clarissimis litteris ordine referebat. Atque huic operi dum insistit ardentius, quàmquam sua de instituendo nouo genere

genere vitæ consilia mortalium nulli aperuerat; hæc
 tamen tanta scribendi ac legendi assiduitas, contem-
 ptus corporis, frugalitatis amor & parsimoniam, ser-
 mo quotidianus non ad urbanitatem, vel ad ambitio-
 nem, ut antea, sed ad modestiam, pietatemque compo-
 situs; hæc igitur, & alia non obscura immutati animi
 indicia, celeriter illum domesticis prodiderunt. In iis
 Martinus Garzia frater natus maximus, qui demor-
 tuo iam pridem Bertramo in dominatu, rei que fami-
 liaris administratione successerat, suspicatus id quod
 erat, Ignatium vel morbi vexatione, vel eorum quæ
 legerat admonitione compunctum, ac pertæsum vi-
 tæ prioris, nouum aliquid ac magnum moliri, atque
 etiam fortasse nuntium rebus humanis velle remitte-
 re; commotus animo vehementer, hominem seuocat,
 variisque interrogationibus blande pertentans, ad ex-
 tremum per communes parentes, perque fortunas
 omnes obtestatur & obsecrat, videat etiam atque etiã
 quid agat, quo progrediatur, neu quid noui consilij
 capiat, quod vel ipsi munitum & exploratum ad glori-
 am & opes iter impediatur, vel sempiternam Loioleie
 familie dedecoris notam inurat. Ad quæ Ignatius bre-
 uiter, quo se quam primum à fratre expediret, satis me-
 morem fore sese respondit officij: & simul, quoniam
 de recuperata propemodum eius valetudine ad Naia-
 ræ Ducem nuntij venerant, in oppido finitimo, cui
 Nauarreto nomen est, eo tempore comorantem; ve-
 niã à fratre petiit ducis pro amicitia reuiscendi; ac per
 eã causam, duobus duntaxat assumptis famulis, eques
 in viam se dedit, ac breui Nauarretum peruenit inco-
 lumis. Ibi Duce amicisque ita salutatis, ut arcana consi-
 liorum suorum quam accuratissime tegeret, simul etiã
 certa pecunie summa in usus pios insumpta, Barcino-
 nem

nem petere, vt Hierosolymas inde contenderet, famulosq. dimittere statuit, quo liberius remotis arbitris in suum sequere corpus, & debita vitæ licentius actæ supplicia à semetipso posset exigere. Solus ergo per summâ dissimulationem Nauarreto profectus, primum omnium religionis causâ celeberrimam beatæ Virginis ædem adire decreuit, quæ in Monte ferrato à monachis Benedictinis incolitur, estq. Barcinonem è Nauarra petentibus minime deuia. Deinde reputans apud animum suum partim voluptates, quibus antea indulserat, partim etiam periculosum & graue bellum, quod sibi rursus à carnis illecebris, atq. ab inferioris animæ viribus imminabat; omni ratione se contra domestici hostis insidias muniendum est arbitratus. Ergo non solum institutam, ex quo die Loiola discesserat, consuetudinem obfirmato retinuit animo, vt singulis noctibus pœnæ nomine se acerrime verberaret, sed etiam ratus nullum continentię præsidium posse firmiter inueniri, quàm Dei matris, eiusdemq. Virginis perpetuæ patrociniū, recenti præsertim illius in se clementiâ ac benignitate inuitatus; in eius maxime clientelam fidemq. confugit, ac studio virtutis incensus, illico fecit vt eidem Virgini sacratissimæ sese irreuocabili voto castitatis obstringeret. Quod religiosi animi obsequium & sacrificium pro sua infinita bonitate ratum & gratum Deus ipse videtur habuisse: quando quidem beatissima Virgine deprecante videlicet, ex eo tempore ad extremum vsq. diem Ignatius plane omni sensu libidinis caruit. Ceterum quo facilius omnes intelligant, quàm sit periculosum & anceps, in Christianæ philosophiæ curriculo sine re-
store ac magistro versari ; non omitam hoc loco

B quod

quod ambulāti in feruore spiritus per eos ipsos dies Ignatio contigit. Erant eo tempore in Hispaniæ finibus, Maurorum multæ reliquię: quos nefariæ superstitioni Mahometis addictos, Ferdinandus Catholicus haud ita pridem è suo pepulerat regno. Ex ea igitur fæce quidam insidens mulo, Ignatium forte affecutus, comitem sese illi adiunxit; ac nonnulla primum (vt fit) de itinere sciscitantur, varijs deinde sermonibus eo deuentū est, vt de singulari MARIÆ virginitate differerent. quam cum nefarius ille ante partum quidem integram illibatamq. fuisse fateretur, à partu vero nequaquam; contra Ignatius ab eiusmodi errore quibuscumq. poterat rationibus hominem reuocare contenderet; post multam altercationem magis magisq. obstinatus impius ille, cum oblatam sibi veritatis lucem intueri nollet, repente non sine rabie quadam subditis mulo calcaribus antecessit, seq. celeriter ex Ignatij cōspectu proripuit. Quo facto vehementius irritatus Ignatius, parū abfuit quin citato gressu persequeretur abeuntem, & pugione confoderet; facinus indignum existimans non tam contemptum relictumq. superbe se, quàm de summa castimonia & sanctitate Reginae Angelorum ausum fuisse vilissimū caput ore polluto detrahere: cumq. militari etiam tum spiritu religionis officijq. momenta perpēderet, sese vix pietati satisfacturum putabat, si tantas blasphemias pateretur inultas, neque ab impuro dæmonis mancipio pœnas petulantis linguæ reposceret. Verumtamen incitatum iam generosi pectoris impetum retardabat suspicio latentis in tam speciosa cogitatione piaculi; metusq. probabilis, ne per hanc animaduersionē, & celeste numen, & eam ipsam quam defendere conabatur,

nabatur,

nabatur, Virginem offenderet. Cum igitur multa se-
cum agitasset, motu corporis pariter atque animo
varius, ad extremum, sane quàm præcipiti consilio
statuit ad biuium vsq. procedere, vnde Maurum ex
habito colloquio ad proximum pagum nouerat di-
uertisse. in eo biuio laxatis omnino mulæ, qua vehe-
batur, habenis, ita de re tota interpretari, vt si bestia
ipsa per se Mauri vestigijs insisteret, non dubitaret
quin accepta futura esset vltio Maieftati diuinæ: sin-
minus, pro certo putaret nequaquam id à se officij
Deum, beatamq. Virginem postulare. Hac ille men-
te processit ad biuium: cumq. pagus ille, quem dixi-
mus, abesset diuerticulo passiu non amplius xl. via
facili ac spatio sa, plane diuinitus factū est, vt sponte
sua iumentū angustiore via Barcinonem versus iter
arriperet. Atq. hunc in modū Ignatius in re tā graui,
nullo pia ipsius studia regēte periclitatus, letalis no-
xæ crimē felicius effugit, quàm sapiētius. Inde pro-
gressus ad vicū à Mōte serrato haud lōge distantē, de
peregrinatione Hierosolymitana, deq. asperiore vi-
ta quā primum ineūda mire sollicitus, viatorium ibi
cōēmit ornatū, sparteos videlicet calceos, talarem è
sacco tunicā, funēq. pro balteo, tornatilē baculum,
& in vsum aquę cucurbitā. Quæ omnia, vt Christi
paupertatem nō erubescere, & peruersam recti vere-
cundiā deponere paulatim assuesceret, suspēsa pro-
palam ex ephippijs ad montem vsq. lætus aduexit.

Acta eius in Monte serrato. CAP. IV.

Vo simul atq. peruenit, templum in-
gressus, ac numine salutato, nihil anti-
quius habuit, quàm vt per sacram totius
B ij anteactæ